



P A R S I.

De Monarchia Affyriorum.

Adverte primò, quisnam status fuerit Regno Affyriæ antè, quām ei Sardanapalus imperaret? Secundò, quæ eidem Monarchiæ conditio à Sardanapalo, usque dum ea soluta penitus exspiraret?

CAPUT PRIMUM.

De Statu Monarchiæ Affyricæ usque ad Sardanapali tempora.

1. Quis Monarchiæ hujus primus conditor fuit?

Nemrodus, qui Noëmi pronepos fuit, nepos Chami, Chufi, sive Beli filius. Hic, ut libertate ea, qua sub Patriarchis fruebantur mortales, eos privaret, ingenio usus est suo, animoque dominandi avidissimo; corporis insuper robore, quo præstabat. Titulo itaque Regis assumpto urbem molitus est Babyloniam, quæ à locata ibidem sede regia Imperii metropolis fuit. Quinos supra sexaginta annos imperavit; quod verò imperaret ut Tyrannus, violenta aliorum manu perire. Anno mundi millesimo nonagesimo, quadragesimo quarto.

2. Quis